

potest fieri ut ratione connexionis unum comprehendere censeatur sub alio secundum communem usum, et tunc non fiet extensio ex vi solius rationis, sed etiam propter significationem verborum, in qua plurimum valet communis usus, ut late Fel. in Procem. Decret., n. 3 et sequentibus.

9. *Alius modus quomodo intelligendus.* — Alius præterea modus extensionis est per æquiparationem casuum per aliam legem prius factam; nam tunc dispositum in uno per aliam legem consequenter censeatur dispositum in alia, juxta Glossam et doctores in l. *Si quis seruo*, c. de Furtis, et Bart. et alios in l. *Ut tantum*, ff. de Serv. corr., et notat Abb. alia referens in cap. *De multa*, de Præben., n. 48; Roch., dicta sect. 4, n. 14; Jas. in l. *Transigere*, c. de Trans.; Nav., dict. c. *Pœna*, n. 14, et idem fere n. 15. Hic vero modus extensionis si in sola ratione legis fundetur, juxta prædicta moderandus est; si autem fundatur in dispositione alterius legis, tunc ponderanda sunt verba legis facientis æquiparationem, et in eo servanda est regula in quo facta est æquiparatio, et non ultra, ut attingit Sylv. verbo *Pœna*, quæst. 4, et ibi Ang., et latius Crotus in l. *Si constante*, 2 lect., ff. Solut. matrim., et Bern. Diaz, reg. 429. Et tunc proprie non fit extensio in eadem lege, sed una extendit effectum alterius, et ideo solet hæc extensio vocari a juristis passiva et non activa, ut videre licet in Bart. supra, et Rocho., n. 9.

10. *Identitas ex motivo colligenda.* — Alius item modus addi potest, quando lex loquitur in determinato casu gratia exempli; nam tunc extendenda est ad casus similes. Quem modum ponunt Sylvest. verbo *Lex*, quæst. 20, verbo *Quarto*, et Ang. ibi, n. 7. Sed hic etiam modus locum habet juxta distinctionem datam de identitate vel similitudine rationis; nam sola similitudo, nisi sit etiam in identitate specifica, non sufficit; cum hac vero identitate sufficit, ut patet ex multis decisionibus canonum, et in legibus quæ ferri possunt per sententiam principis in particulari casu, ut supra dictum est, et nihilominus intelliguntur esse generales leges. Identitas autem illa optime explicatur per motivum et rationem virtutis sub qua talis actus prohibetur vel præcipitur; nam si fuerit lex lata in tali casu intuitu religionis observandæ, vel sacrilegii vitandi, ubi in simili casu eadem specifica ratio religionis vel sacrilegii intervenerit, lex extendetur, et idem est de ratione justitiæ. Et hoc declaratur bene ex l. 1, ff. Uti poss., juncto § *Nam interdictum prætoris*;

loquens de possessione domus, extenditur ad possidentem agrum, vel quamcumque rem similem, quia nimirum eadem est ratio justitiæ in illis omnibus cujus intuitu interdictum latum est. Et ita ex materia, vel ex ratione legis, vel ex alia lege, vel ex naturali ratione, non erit difficile intelligere quando lex loquatur in particulari casu gratia exempli, vel per aliam occasionem. Et sic etiam procedit alia frequens regula quod lex loquens in speciali casu, quia frequentius accedit, extenditur etiam ad similes, licet rariores sint, dummodo ejusdem rationis sint, in ratione virtutis aut vitii, ad quam respexit lex. Quod notavit Glos. in l. 1, c. de His qui ad Eccles., verbo *Judæi*, et in unic. c. de Rapt. virg., verb. *Sponsam*. Idem Rebuff. in tract. Nomin., quæst. 5, n. 25; Ugol., de Excom., tab. 2, cap. 23, § 6, n. 6. Et eadem regula usus sum in 5 tomo, disp. 15, sect. 4, circa fin., explicando c. *Quoniam multos*, 11, quæst. 3. Omnia vero fundantur in identitate rationis, quæ attente et secundum omnes circumstantias positas spectanda est, ut explicavi.

11. Ultimo inquiri potest an hujusmodi extensio locum habeat non solum in casibus seu actionibus, sed etiam in personis, locis ac temporibus, etc. Ad quod potest generaliter responderi affirmando, si ratio aut verba legis, servata proportione, talem extensionem vel ampliacionem requirant. Addo tamen proprie et immediate hanc extensionem fieri ad casus seu actiones, quia illæ sunt proxima materia legum, et ideo de his præsertim locuti sumus, consequenter vero etiam fieri ad pœnas, quatenus fieri potest ad maleficia seu delicta. Addo etiam propriissime fieri ad personas, tum quia etiam lex loquitur ad personas et illas obligat; tum etiam quia actiones per respectum ad personam variari possunt. Et ideo etiam de hac ampliacione legis frequentissime loquuntur auctores, et varia ejus exempla videri possunt in Rocho, supra dict. sect. 4, n. 12; Tiraq. in dicto § *Libertis*, n. 28 et sequent.; Anton., Gabr., l. 6, t. de Verbor. signific., fere per totum.

12. Ad loca vero potest quidem fieri extensio intra latam vocis significationem, quando saltem sub illa potest nomen loci in lege positum extendi ad alia loca, vel quia nomen est ambiguum et ex frequentiori usu, vel ex materia aut ratione legis determinatur, vel quia per connexionem unus locus sub alio continetur, ut suburbia nomine populi, vel populi subjecti sub nomine civitatis, juxta l. *Qui ex vico*, ff. ad Municip., et quæ insimul docent

CAPUT V.

QUANDO ET QUOMODO POSSIT LEX PER INTERPRETATIONEM RESTRINGI.

1. *Restrictio quomodo accipienda.*—*Restrictio quo tendit.*—Materia hujus capituli eadem fere est quæ præcedentis; nam cum restrictio opponatur extensioni, eandem fere doctrinam cum proportione admittit; sic enim oppositorum eadem solet esse ratio; nam quot modis unum dicitur, tot dicitur reliquum. Quia vero materia solet esse obscura et perplexa, ideo aliqua in particulari dicere necessarium visum est. Restrictio ergo, sicut extensio, accipi solet vel per comparationem ad verba, juxta varias eorum significationes supra positas, scilicet, aut propriam naturalem, aut propriam civilem, aut impropiam, vel per comparationem ad rationem legis: per comparationem autem ad mentem non potest dari restrictio, nimirum, quæ aliquid eximat ab obligatione legis quod fuerit comprehensum sub mente legislatoris; id enim repugnantiam involvit, stando in vi interpretationis, nisi intercedat dispensatio, quæ superiorem potestatem requirit, ut infra dicitur. Nam mens legislatoris seu voluntas est ipsa lex, seu unde habet lex vim obligandi: ergo impossibile est per interpretationem aliquid eximere a lege quod non eximatur a mente legislatoris. Igitur omnis restrictio legis eo tendit ut mentem ipsam legislatoris ad pauciora coarctet, quam verba vel ratio legis præ se ferre videantur. Ad majorem autem claritatem distinguere possumus, aliud esse non extendere legem, aliud restringere illam; nam inter extensionem et restrictionem potest medium intelligi, per adæquationem ad verba secundum eorum proprietatem et rationem. Hæc autem non potest habere locum ubi et verba legis non possunt nisi unam propriam significationem habere, naturalem vel civilem; nam si utramque habeant, eo ipso quod secundum alteram tantum intelliguntur est restrictio, et si ad utramque ampliatur est extensio, et ideo rara est hæc adæquata interpretatio sine restrictione vel ampliacione, ideoque nihil de illa specialiter dicere oportet, quia in capitibus præcedentibus, explicando quo modo liceat extendere leges, simul declaravimus intra quos terminos contineri debeat quælibet extensio, et consequenter declaravi quæ extensio seu ampliatio non liceat.

2. *Aliquando non licet legem restringere.*—

Bart. in l. 2, c. Quæ sit long. consuet., q. 37; Roch., dict. sect. 4, n. 17; seclusis autem omnino verbis, aut nunquam aut rarissime potest fieri talis extensio. Et ratio in generali reddi potest, quia si locus sit extra territorium legislatoris, clarum est non posse ad illum fieri extensionem legis quoad obligationem ejus, juxta regulam cap. 2 de Constit., in 6; sed ad summum per imitationem poterit ad unum locum applicari lex alterius, per modum exempli vel auctoritatis. Si autem extensio fiat ad alium locum contentum in territorio, non vero comprehensum ullo modo sub loco pro quo legislator expresse voluit legem ferre, non poterit esse extensio comprehensiva, cum intentio legislatoris satis limitetur per definitum loci expressionem, ut supra attigi cap. 4 de Tempor. ordin., in 6; nam ratio ibi adducta videtur generaliter procedere, moraliter loquendo.

13. At vero extensio legis ad tempus fieri non potest nisi ad præteritum vel futurum; nam de præsentis semper lex loquitur, ut constat, et non sunt plures temporis differentie. De extensione autem ad præteritum dictum est l. 3, c. 14, tractando quomodo lex feratur circa præterita, declarando, non disponendo, et ideo talis extensio recte fit per vim rationis in lege expressæ, quando ex illa colligi potest legem esse declarativam et non tantum constitutivam: idemque erit quoties ex quolibet alio verbo vel ex materia id constare potuerit, nec aliter fit illa extensio. Respectu autem futuri temporis non est vera extensio; nam hæc est propria legis natura ut ad futura feratur, juxta l. *Leges et constitutiones*, c. de Legib., et ideo potius regula erit legem de se comprehendere futurum tempus nisi restringatur, quia lex semper loquitur; et ideo, licet de præsentis loquatur, semper in quolibet futuro tempore, quando est præsens, idem disponit. Addit vero Panor. in cap. 2 de Const., n. 2, quod si lex remittat delictum, tunc non extenditur ad futura, ne det materiam delinquendi. Plus vero dicitur in l. *Cum lex*, ff. de Legib., videlicet, *cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetare*, utique ex mente legis; et ita ibi fit quædam extensio ad futura, quia indulgendo præterita supponit illa esse mala vel prohibita, quam prohibitionem non revocat indulgendo præterita, sed potius tacite confirmat.

Atque hinc etiam facile explicari potest quando restrictio legis non liceat. Dum enim restrictio extensioni contraria sit, quoties restrictio legis secundum regulas datas necessario faciendâ fuerit, tunc non licebit restringere legem utique secundum idem; nam si restrictio fiat in uno et restrictio in alio, non erunt contraria, et sic non repugnabit simul fieri circa eandem legem diversis respectibus. Atque eadem ratione, quoties non licet extendere legem ultra verborum proprietatem, tunc licita est, imo et necessaria restrictio, quando verba alia significata minus propria habere possunt, quia tunc non extensio legis est illius restrictio. Nunc ergo pauca addenda supersunt in particulari ad majorem declarationem, quamvis magna ex parte per proportionem ad extensionem accipienda sint.

3. *Restrictio fieri debet ad aliquod inconveniens evitandum.*—Dico ergo primo: restrictio legis fieri potest ac debet ad vitandam injustitiam seu iniquitatem, vel aliam absurditatem in ipsa lege. Ita docent omnes, et est clarum ex eadem ratione facta in simili de extensione, quia ita debet lex intelligi ut sit justa et honesta, et præsumi debet ex mente facta, quæ nullam absurditatem complectatur; ergo quantum fieri possit, ita restringenda est ad vitanda similia incommoda, quando ad eum finem restrictio necessaria fuerit. Quod optime probat ratio textus in c. *Suggestum*, de Appellat. ibi: *Quia decretalem epistolam qua tales muniri videntur, non ad deprimentam cujusque justitiam, sed ad removendum gravamen, nos fecisse cognoscas.* Ubi Panor., n. 2, advertit legem posse restringi secundum rationem naturalem, etiamsi non sit in lege expressa. Et idem repetit in c. *Proposuit*, eodem, n. 4. Unde recte dixit Glossa in Authent.: *Ut sine prohibitione, etc.*, verb. *Existimamus, ineptum esse dicere, non fallere regulam, ubi æquitas id suadet.* Est autem hoc intelligendum de ratione naturali ostendente injustitiam vel absurditatem in lege, si absque restrictione intelligatur; nam si solum ostendat esse æquam vel rationi consonam restrictionem, posse tamen sine illa legem esse justam et rationalem, talis ratio non erit sufficiens ad restringendam legem contra proprietatem verborum ejus, ex alio principio in superioribus declarato, quod legis obligatio non cessat in particulari, licet ratio ejus negative deficiat, si non deficit contrarie: nam eadem est ratio in præsentibus. Dico autem hoc intelligi de restrictione contra proprietatem verborum; nam si in aliquo sensu proprio lex

possit talem restrictionem admittere, tunc ratio ostendens in restrictione æquitatem, licet non ostendat præcisam necessitatem, poterit sufficere ad restrictionem faciendam, si alioqui materia juvet et restrictio cedat in favorem et majorem benignitatem, juxta l. *Semper*, ff. de Regul. jur.

4. Atque ex hoc principio infertur dispositionem legis indistincte loquentis ita esse restringendam, ut non cedat in præjudicium innocentis; nam inferre innocenti nocentum, alienum esse præsumitur ab intentione legislatoris, quia injustitiam involvit, ut recte probatur ex l. 2, c. de Noxalib. Et favet c. *Super eo*, de Offic. deleg., ibi: *Non tamen est nostræ intentionis diæcesano præjudicium generare;* ubi sermo quidem est de delegatione, et Glossa ibi illud extendit ad omnia rescripta; tamen eadem ratio est in legibus, quia hæc restrictio in naturali justitia fundata est. Et ita docet Alb. in c. *Causam quæ*, de Rescrip. Et idem solet dici de consuetudine, quæ legi æquiparatur, Fel. in c. *Auditis*, de Præscrip., verb. *Quinta declaratio*, et Inn. in c. *Dilecto*, de Offic. Arch., n. 7.

5. *Quando ratio legis non est adæquata verbis, restringenda est.*—Dico secundo: quando ratio legis, non est adæquata verbis legis, restringenda est ad terminos suæ rationis, et non est secundum totam verborum generalitatem intelligenda. Hæc assertio satis communis est, ut constat ex allegatis in c. 2 et 3; nam quoad hoc idem cum proportionem sentiunt de extensione et restrictione, et specialiter docet Abb. in c. *Quia in insulis*, de Regul., et in c. *Post translationem*, de Renun., et in c. *Suggestum*, de Appellat.; et ibi Deci., notab. 1 et 2; Ant. de Butr., in c. *Post translationem*, de Renun., n. 34; latissime Tiraq., referens multos in tr. *Cessante causa*, 1 p., n. 144, ubi multa repetit ex his quæ etiam habet in dicta l. *Si unquam*, § *Libertis*. Hæc autem regula necessario intelligi debet de ratione expressa et scripta in lege; quia, ubi lex non exprimit rationem, nemo potest prudenter talem rationem legis excogitare quæ non sit adæquata dispositioni legis, et ita nunquam potest lex restringi ex ratione tantum cogitata, vel præsumpta, quantumcumque verisimilis appareat. Quia licet forte doctores aliam adæquatam rationem legis non invenient, fortasse legislator illam habuit; satisque est quod per verba legis significavit se ita generaliter voluisse, et quod nullum signum restrictionis ostenderit. Quia quod *principi placuit, legis habet vigorem*, l. 1, ff. de Const.

princ., et fieri etiam potest ut lex illa sit ex his quarum ratio non potest inveniri, ut dicitur in l. *Non omnium*, ff. de Legib.; nisi fortasse lex inveniretur injusta si ultra talem rationem, etiam cogitatum, obligaret: nam tunc incidemus in casum præcedentis assertionis. Hæc ergo assertio de ratione expressa in lege necessario intelligenda est, et sic fundari potest, tum quia licet verba legis generalia sint, per adjunctam rationem limitantur: *Incivile autem est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare, vel respondere*, ut dicitur in l. 24, ff. de Legib.: ergo non est judicandum de tali lege ejusve obligatione ex solis verbis præceptivis secundum se spectatis, sed ex illis ut limitatis per rationem quæ est veluti anima ejus, ut in superioribus dictum est. Et confirmatur, quia voluntas principis rationabilis est: voluntas autem non vult rationabiliter nisi quæ sub ratione comprehenduntur, præsertim quando illam habet et proponit pro expresso motivo et fine adæquato. Tandem confirmatur, quia limitata causa limitatum parit effectum; sed ratio est sola causa volendi; ergo voluntas limitatur juxta limites rationis, etiamsi verba plus sonare videantur.

6. *Aliquæ leges, quæ dictis repugnare videntur, explicantur.*—Hæc vero assertio difficultate non caret, quæ imprimis sumitur ex Glossa in l. *Non omnium*, ff. de Legib., in fine, dicente interdum legem obligare ubi non habet locum ejus ratio. Allegat l. 4, ff. de Popul., *Secundo loco*, verb. *Secus*. Sed illa lex parum cogit; nam ibi proponitur occasio legis particularis, ratio autem universalis est. Magis ergo urget lex *Prospexit*, ff. Qui et a quibus, in qua expresse dici videtur, si verba legis universalis sunt, illis standum esse, etiamsi in aliquibus ratio legis non ita procedere videatur. Ut si lex prohibet mulieri de adulterio accusatæ alienare servos, ne quæstioni subducantur, dicitur comprehendere omnes, etiamsi sint extra ministerium domus in agro vel alibi, imo et postea comparatos, quia, licet ratio legis non videatur illos comprehendere, verba id faciunt: *Quod (inquit) perquam durum est, sed ita scriptum est.* Ratio autem reddi potest, quia ratio legis non est lex, imo nec proxima virtus legis, sed hæc est voluntas legislatoris; hæc autem non est semper adæquata rationi; nam sæpe generalior est voluntas, nec propterea erit irrationabilis aut imprudens, quia ad majorem securitatem aut cautelam potest voluntas ultra rationem extendi. Et confirmatur, quia supra dictum est interdum posse volun-

tatem esse magis restrictam quam sit ratio, et ideo non semper extendi legem ad omnia ad quæ extenditur ratio; ergo pari ratione e contrario potest voluntas esse generalior quam ratio; ergo non est lex restringenda ex ratione, quia lex pro ratione indicat legislatoris voluntatem. Confirmatur tandem, quia alias cessante ratione legis in particulari cessaret obligatio legis; hoc autem non ita est, ut infra dicam; ergo.

7. *Declaratur in quo sensu dicta assertio sit intelligenda.*—Respondeo breviter assertionem esse intelligendam de ratione legis adæquata et intrinseca, et (ut ita dicam) constitutiva proximi objecti ejus, et hoc probare objectiones proxime factas, et ita intellecta assertionem illas solvi. Itaque, sicut diximus non quæcumque identitatem rationis sufficere ad extensionem legis, sed oportere ut ratio sit adæquata; et ita intrinseca ut in illa connexionem habeant omnia comprehensa sub lege, quia per illam aliquo modo constituuntur sub tali objecto; ita cum proportionem de restrictione censemus. Quia si ratio non sit adæquata, licet sit minus universalis quam verba, ex alia ratione vel aliquid rationi adjungendo, potest comprehendere sub lege omnia quæ absolute significat. Deinde etiam necessarium est ut ratio sit quasi constitutiva objecti legis, quia alias non potest censi adæquata, ut, licet Ecclesia præcipiat jejunium propter comprimenda vitia, non est illa ratio adæquata; unde, licet illa deficiat, ratio legis adæquata potest subsistere, quæ est honestas temperantiæ in tali actu seu materia. Quod si materia legis non sit propter se intenta, sed tantum propter aliud, tunc oportebit ut ratio contineat proximum et adæquatum finem legis, quia tunc censebitur tanquam intrinsecus. Ut in d. l. *Prospexit* ratio illis verbis contenta: *Ne mancipia quæstioni subducantur*, non fuit intrinseca et constitutiva objecti legis; nam materia ejus absolute fuit servorum alienatio seu distractio, quæ materia in se non habebat rationem intrinsecam ob quam prohiberetur; fuit ergo illa ratio finis extrinsecus prohibitionis, qui licet fuerit præcipuus, et ideo exprimitur, potuit non esse adæquatus; nam potuit absoluta prohibitio fieri ad tollendas occasiones fraudum et deceptionum, et ad comprehendendos casus omnes moraliter contingentes. Unde si velimus illam rationem interpretari, ut sit adæquata legi universaliter loquenti, sumenda erit non tantum secundum actum, sed etiam secundum præsumptionem, et secundum potentiam

vel moralem contingentiam. Quamvis enim mancipia quæ sunt in agro, vel postea emuntur, ordinarie non possint esse testes in tali crimine, nihilominus fit absoluta prohibitio ne illo colore subducantur qui possunt esse testes, fingendo fuisse in agro, vel absentes, vel postea emptos: nam qui ordinarie in agro habitant potuerunt inveniri in domo præsentibus tempore delicti, et sic potest ratio ad omnes extendi. Quod cum proportionem applicari potest ad alias leges, ut non facile absoluta earum verba ex ratione limitentur; hoc enim servandum esse, optime ex illa l. *Prosperit* probatur.

8. Hoc etiam suadet ratio in objectione facta: nam si ratio legis contineat intrinsecum motivum virtutis vel vitii cujus intuitu actus præcipitur aut prohibetur, sine dubio lex non comprehendet casum in quo talis ratio inventa non fuerit, quia est adæquata; constituit enim lex materiam legis, et non loquitur extra propriam materiam, et ita in illa ratio dici potest virtus legis, non per modum principii efficientis aut formæ intrinsecæ, sed per modum proprii objecti et materiæ, quæ in suo genere est causa legis et necessaria ad illam. Si vero ratio legis contineat finem extrinsecum, sic vel non erit adæquata ratio, et sic non procedet contra regulam, vel certe si accipiatur secundum omnem habitudinem quam participare potest in ordine ad majorem cautelam, securitatem vel utilitatem legis, sic non poterunt extendi verba legis ultra rationes in tota hac latitudine sumptas, quia jam voluntas legis omnino ratione careret, quod præsumi non potest. Et ita etiam patet facile responsio ad primam confirmationem; concedo enim servari aliquo modo commutatam proportionem inter extensionem et restrictionem per rationem legis, ut satis declaratum est. Tamen in hoc est aliqua diversitas, quod voluntas potest etiam prudenter non velle omnia in quibus eadem ratio militat, quia non semper expedit quando alias non sunt necessario connexa; non potest autem voluntas aliquid prudenter velle sine aliqua ratione, et ideo ubi constiterit rationem legis esse adæquatam, non est verisimile extra illam extendi mentem legislatoris.

9. Ad ultimam confirmationem, Pan., in d. cap. *Quia in insulis*, sentit etiam esse legem restringendam pro omnibus casibus in quibus cessat ratio legis, prout in lege exprimitur; ut in illo textu, quia pro ratione redditur, *Quia in insulis dura est congregatio monachorum*, ait decisionem ejus non habere locum in insulis in quibus non fuerit dura congregatio mo-

nachorum. Sed quidquid sit de illo textu particulari (cujus decisio, ut credo, magis pendet ex significato illius vocis *insulæ*, quale sit), generaliter loquendo, non potest admitti doctrina, nisi intelligatur de cessatione rationis contraria, et quæ tollat objectum legis, ut infra dicetur. Respondeo igitur negando sequelam intellectam de cessatione rationis legis mere negative et in particulari. Et ratio est, quia, licet ratio sic cesset quasi in actu, nihilominus potuit movere ad prohibendum actum, quia de se erat obnoxius illi rationi, et ita ille actus fuit absolute comprehensus sub ratione legis etiamsi postea in illo cessaverit. Et si recte res consideratur, tunc non omnino cessat ratio legis. Quod in dicto capite magis exponemus.

10. *Lex ex subjecta materia aliquando restringenda.* — Dico tertio, legem restringi aliquando ex subjecta materia, præsertim per comparisonem ad aliam legem. Sub hac assertionem breviter comprehendo varios modos restringendi leges qui ab auctoribus traduntur. Unus ex subjecta materia, quia verba legis juxta subjectam materiam intelligenda sunt et ideo etiam secundum illam coarctari possunt. Exemplum sumitur ex l. *Adigere*, ff. de Jur. patr., ubi prohibetur patronus ne libertum jurejurando cogat ne uxorem ducat; et nihilominus dicitur inferius qui tale juramentum exigeret a liberto eunucho non peccaturum contra legem; nam juxta materiam subjectam lex loquitur de libertis qui possint liberos procreare. Verum est optime posse restrictionem illam reduci ad rationem legis; quia fere semper hæc restrictio ex materia est conjuncta cum ratione, et ideo nihil amplius de illa dicere necesse est.

11. Aliquando vero fit restrictio legis generaliter loquentis, ut locum non habeat in casu aliquo speciali, propter speciales circumstantias vel prærogativas rerum aut personarum. Quia juxta generalem regulam juris, in *generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus*, 81, n. 6, et in c. *Si Episcopis*, de Pœnit. et remis., in 6. Eodem enim modo in præsentem dicere possumus, in generali prohibitione, vel præcepto legis non venire ea quæ princeps non esset in specie verisimiliter præcepturus; quia sicut concessio, ita et lex ex voluntate pendet. Hæc autem restrictio dupliciter fieri potest: uno modo ex speciali jure determinante ut tales personæ non veniant sub generali clausula, ut in c. *Quia periculosum*, de Sent. excom., in 6; et tunc est clara ratio et restrictio, so-

lumque verba legis specialis expendenda sunt et servanda. Contingere item hoc potest, quia in speciali casu est aliter per legem statutum aut privilegium dispositum, et generalis lex contraria, illis non derogat, juxta regulam juris quod generi per speciem non derogatur. Et de hoc modo specialiter dicturi sumus tractando de legum correctione et derogatione.

12. Denique contingere potest illa restrictio sine speciali jure, solum ex conjecturata mente legislatoris, verisimiliter applicando regulam illorum canonum, non comprehendi sub generali lege ea quæ in specie non esset quis voliturus; et sic est difficilis restrictio et inter jurisperitos multum controversa, ut videre licet in Ant. Gab., l. 6, tit. de Leg., cons. 1, ubi refert contrarias opiniones et earum auctores. Illa tamen communior est quæ affirmat etiam hoc modo posse hanc restrictionem fieri, quia generalis illa præsumptio, quod nemo in generali sermone comprehendit id quod in specie non esset voliturus in jure fundata est et in ratione naturali, quia illa præsumptio fundatur in defectu voluntatis quæ præsumitur ex incogitantia talium circumstantiarum. Sub hac autem regula fieri potest applicatio ad casum sub lege contentum, arbitrio prudentis de illo judicando. Neque potest in hoc certior regula constitui, quia sine dubio usus hujus restrictionis in particulari difficilis est. Unde Socin., in Reg. juris 284, ponens regulam quod lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, 55 limitationes ponit quæ ad hoc genus restrictionis pertinent, et in eo videri possunt, et in t. 2 Regular., verbo *Lex*. Hic vero statim occurrebat dicendum de casu dubio, de quo in capite sequenti tractabimus.

CAPUT VI.

UTRUM INTERDUM CESSAT OBLIGATIO LEGIS IN PARTICULARI CONTRA VERBA LEGIS, ETIAMSIPER PRINCIPEM NON TOLLATUR.

1. *Duplex modus mutationis in lege.* — *Alia divisio mutationis legis.* — Hactenus explicuimus interpretationem legis humanæ quoad generalem sensum ejus, quo obligationem inducit; nunc dicendum est de mutationibus quæ in ea contingunt, propter quas desinit obligare. Duplex autem modus mutationis potest in lege intelligi, unus veluti ex se et ab intrinseco ex defectu alicujus causæ conservantis, vel alicujus conditionis necessariæ ad obligationem ejus; alius modus est ab extrinseco per actio-

nem superioris agentis, facientis in lege mutationem. Nam sicut lex humana voluntate introducta est, ita per similem voluntatem potest mutari. Unde prior mutatio contingit quando, perseverante eadem principis voluntate, propter mutationem aliarum rerum lex desinit esse vel obligare: posterior vero e contrario fit quando, stantibus omnibus aliis ad obligationem legis requisitis, per voluntatem principis lex mutatur; et prior generaliter dici potest cessatio, posterior vero ablatio legis vocari potest. Et utraque mutatio potest dupliciter accidere, scilicet, vel partialiter in aliquo actu, vel occasione, aut tempore, vel persona particulari, perseverante lege in generali: vel totaliter per ablationem totius legis; et ita quatuor resultant mutationes, scilicet, cessatio legis partialis, quæ dici potest exceptio a lege; vel totalis, et dicitur absolute et simpliciter cessatio; vel ablatio partialis, quæ generaliter comprehenditur nomine dispensationis, et solet etiam dici derogatio; et totalis ablatio, quæ dicitur revocatio, seu abrogatio legis. De his ergo quatuor mutationum generibus sigillatim dicendum est; et prius de cessatione partiali, deinde de totali, postea vero eodem ordine de utraque ablatione.

2. *Sensus questionis aperitur.* — Primum igitur omnium quæremus an contingat cessatio legis universalis in particulari eventu, etiamsi ab alio non auferatur ejus obligatio. Quæ quæstio coincidit cum illa quam sub alio titulo proponit D. Thomas 1. 2, q. 96, a. 6, scilicet, an liceat subdito interdum contra verba legis agere: constat enim hoc non posse licere durante obligatione legis, quia tunc non potest subditus ab ea discordare sua auctoritate, sed ei parere tenetur; ergo si interdum licet, est quia cessat obligatio ejus; est ergo una et eadem illa quæstio. Et similiter est eadem cum quæstione tractata a D. Thoma 2. 2, q. 120, quando liceat uti epikiia in usu seu executione legum; ut autem intelligatur sensus quæstionis, et distinguatur ab aliis quæ in superioribus capitibus tractata sunt, et non confundatur epikiia cum generali interpretatione legum, adverto aliud esse inquirere de sensu verborum an universalis sint, et hos vel illos casus comprehendant, seu an in hac vel illa significatione accipiantur, et hoc pertinet ad generalem doctrinam datam capitibus præcedentibus, et magis ex professo ad jurisprudentiam. Non vero spectat hoc ad epikiiam, quia epikiia (ut Aristoteles dixit) est emendatio legis propter universale: ibi autem non agitur de